



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Conradi Romanorum & Siciliæ Regis epistolæ quatuor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688

CONRADI ROMANORVM
ET SICILIAE REGIS
EPISTOLÆ QVATVOR.

I. *Proconsuli almæ urbis.*

PLENE scimus, nec extraneas testium proba- Ann. 1251;
tiones exquirimus, quanta sit erga nostri ho-
noris augmenta tuæ procreationis intentio, quan-
tusque refloreat erga nominis nostri fastigia tuæ de-
votionis affectus, dum, sicut ipsa rerum experien-
tia docente collegimus, quæ nostri honoris sunt sol-
licitus expetis, & factus quasi jam nobis de nostræ
felicitatis promotione domesticus, negotia nostra
magnificè sed prudenter ubilibet placido cordis af-
fectu & fructuosa operis attentione procuras. Ex
hac igitur causa facti nos jam tibi & tuis quasi per
debitum ad commoda quælibet amplianda benivo-
li, nuntios providos & solemnes ex parte tua & se-
natus populique Romani nuper ad nostram præsen-
tiā destinatos gratarter recepimus: qui dum suæ
legationis officium sollicitè, diligenter, ac providè
coram nostræ serenitatis aspectibus implevissent,
ecce super capitulis omnibus quæ ipsorum relatio
derecta continuit expediti gratiosè per nos, ad pro-
pria revertuntur. Cùmque tam nuntij quām cete-
ra ex parte tua & Romanorum omnium nobis suc-
cessu temporis offerentur, immo quæ tamquam ne-
gotia propria gerimus, gratissima sensibus nostris
accendant, circumspectionem tuam, de qua toto
corde confidimus, requirimus & rogamus attente
quatenus firmam fabricans in nostræ munificentia

liberalitate fiduciam, sic strenuos actus tuos erga honorem nostrum prudenter accommodes, sic industriae laudandae principium laudabiliori semper inantea continuationis ordine prosequaris ut tu sollicitudinis opera tanti actoris fulta suffragio erga te & tuos amplissime dexteram nostram liberalitatis invitet.

II. Illustri Regi Navarræ.

IN VITAT nos antiqua patris nostri dilectio, erga vos dudum habita, de vestra speciali dilectione confidere & vos ad succendentium serenitati nostram processuum participium evocare. Scimus enim, ut non improperando præterita, sed suavitet referendo loquamur, quod adhuc in teneris annis, vobis sub matris regimine positis, ejusdem genitoris nostri continua sollicitudo non defuit, quin potius arduis imperij tunc & Germaniae negotijs intermissis, causam vestram viriliter assumpsit in propriam, & contra persecutorum suorum incursum pro restauratione vestrorum jurium multis personæ laboribus ac rerum impendijs laboravit. Propter quod vos tam carnis unione conjunctos quam specie necessariæ gratitudinis obligatos nova de nobis libenter audire felicia credimus & in causæ nostræ subsidium paratas invenire confidimus vires vestras. *Reliqua desunt.*

III. Cardinalibus Romanæ Ecclesie.

CONRADVS &c. venerabilibus in Christo patribus sacrosanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalibus. Conscientiam vestram, si salvo pudore justitiae diligenter exquiritur, latere non credimus qualiter haec tenus ad honorem Dei & sacrosanctæ Romanæ

R
sti
fa
de
cre
ne
sig
Po
ma
ver
lud
huc
sup
fide
facti
tati
peri
no p
tam
tion
inte
præ
sam
hilic
solici
lega
dieb
com
torib
plus
quoc
pora
minu
sentia
celler
& in

Romanæ Ecclesiæ matri nostræ, cuius, velut Christianæ legis & orthodoxæ fidei zelatores, devotum fatemur nos filium, & specialem recognoscimus defensorem, cuius etiam sacra mysteria catholicè credimus & tota cordis ac corporis reverentia veneramur, grandis humilitatis & plenæ subjectionis signa monstravimus, ut istam inter nos & summum Pontificem patrem nostrum dissentionis horrendæ materiam, quam non sine dedecore partium & universalis discrimine populorum vulgus, proh dolor, ludibriosè jam loquitur, sedare possemus. Nec adhuc coram vobis, qui positi tamquam luminaria supra montem lucetis in gentibus, & velut cardines fidei regitis domum Dei, referre nos devoutæ satisfactionis pudet insignia quæ salvis juribus & dignitatibus nostris nostrorumque fidelium tam in imperio quam in regnis nostris fuimus eidem Domino patri nostro & sumus humiliter offerre parati, si tamen ipse nos filium caritatis paternæ debita relatione cognoscat. Dubitantes veruntamen ne vel res inter alios acta, contra jus scriptum juri nostro præjudicet, vel de præteritis conjecta suspicio causam exasperet successum futurorum, timentes nihilominus, ut loquamur ad litteram, ne sedens in solio Christi vicarius venerabilis pater noster, cui legatum pacis hominibus erogandæ commissum est, diebus istis, quibus non solum paschalem agnum communicare Christicolis sed exorare pro persecutoribus etiam teneretur, voluntatis suæ arbitrio plus debito laxatis habenis, dum credit sibi licere quod* liceat, spiritualem contra nos gladium tem- * libeat poraliter exerat & procedat in aliquo, si dici liceat, mindis justè, ecce.. fideles nostros ad vestram præsentiam duximus destinandos, concessa eis ab excellentia nostra potestate plenaria ut à gravamine & injusto processu patris ejusdem coram tam ve-

Hh

nerabili cœtu patrum , primō ad Deum vivum , cuius nutibus attribuimus quicquid sumus , & deinde ad futurum summum Pontificem , ad generalem synodum , ad Principes Alamanniæ , & generaliter ad universos Reges & Principes orbis terræ , ac ceteros Christianos , pro parte nostra liberè valeant appellare.

IV. Henrico Regi Anglorum.

Ann. 1254.

NO LLE MVS auditus vestros , vulgaris forte famæ præloquijs stupefactos , illis pulsare rumoribus quorum & nostram exaggeraret relatio lacrymosa memoriam , & cordis nostri præsumitur corruptura quietem . Sed ex eo præcipue nos his casibus personam elegimus relatoris , quod dum acerbitatem doloris nostri silentio colibere vix possumus , in vobis mœroris impetum persuasionis nostræ remedio facilius credimus mitigandum . Nec mirari vos volumus si de ijs quæ inviti referimus ad notitiam vestram nuntiatio sera perveniat , cum haec tenus ex recenti vulnera mœstia prævaleret immensitas , & ex oculis nostris naturæ suggestentis imperium fluxum emungeret lacrymarum , sique fluctuabat mentis nostræ turbata tranquillitas ut ad extinguenda doloris incendia necessario solatoris alterius lenitivis liquoribus egeremus . Iam vero dato tempore luctibus , quod eventus tam turbidi qualitas exigebat , litigubre obitum Henrici carissimi fratris nostri nepotis vestri vobis infestis rumoribus nuntiamus ; de cuius casu tam horrendo licet ex decisione carnis nostra satis amaricata sint pectora , dum pretiosissimam pectoris nostri partem perdidisse dolemus , ex eo tamen turbamur amarius quod dum ad regiminis nostri gubernanda molimina viriles animos habere nos expedit , nunc ad

deplorandum fratris nostri decesum mollitem
quasi subivimus muliebrem: quia dum ejus jam es-
set ætas proiecta virtutibus, in cuius humeris cu-
ras nostras confidenter appendere poteramus, me-
tentis æqualiter omnia mortis austertas, flore ju-
ventutis suæ, præmativa nimis falce præsecuit, &
quasi prædonis sagacitate subrepens, sic improvisè,
sic subito naturæ magistras manus elusit. Verum
cùm ad hæc reparanda discrimina artes & opes hu-
manæ deficiant, quæ potius dispositionis supernæ
provisio & facti generalis æqualitas consolatur, do-
loris ejusdem, cuius vix de corde nostro cicatricis
occiduae signa transibunt, vobis affectuosè providi-
mus porrigendum. Nec credat unquam dilectio ve-
stra quòd affinitatis nostræ per hoc debilitata sine
fœdera, quæ in eo nobis convivente memoriter re-
manserunt, & in M. carissima sorore nostra super-
stite consorte nobilis viri Marchionis Messanensis
solidata perspicimus, & in heredes ejus partu gra-
tifico perpetuata sentimus. Quocirca non minùs
quām fratre nostro vivente de nobis puro corde
confidite; & si qua sunt in regnis nostris quæ sere-
nitatis vestræ grata sint usibus, vel affectui blan-
diantur, nobis exinde vota vestra exauditionem om-
nimodam relatura nobis per litteras vel nuntios
aperite.

MANFREDI REGIS SICILIAE

epistola ad quendam Doctorem

Decretorum.

MANFREDVS &c. magistro Nro Decreto-
rum Doctori. Inter alia decoris insignia qui-
bus regni nostri possessio præclara tripudiat, desi-
deramus ibidem liberalium artium condimenta con-

Hh ij